

operetur, unde homo hoc ipsum habeat, & quomodo id consequi possit. Hæc pia doctrina ostendit horum bonorum fontem: hoc videlicet modo. Cùm naturales hominis vires ad veram Conversionem nihil conferre, aut quicquam adjumenti afferre possint, DEus ineffabili bonitate & misericordia nos prævenit: & Evangelion (per quod Spiritus S. conversionem & renovationem in nobis operari & perficere vult) annunciari curat: & per verbi sui predicationem & meditationem fidem, aliasque pietatis virtutes in nobis accendit: ita quidem, ut hæc omnia solius Spiritus S. dona sint atque operationes: & p. 671. ita docent: Predicatio verbi Dei & ejusdem auscultatio sunt Spiritus S. instrumenta, cum quibus & per quæ efficaciter agere & homines ad DEum convertere atque in ipsis & velle & perficere operari vult. Ad quorum uberiores intellectum adduci merentur verba D. Scherzeri ex Systemate Theologico Loco XI p. 296. quæ ita habent: operatur igitur DEus pœnitentiam; sed homo pœnitentiam agit. Sicut Spiritus S. fidem accendit, sed homo credit. Unde proprie loquendo homo nullo modo est causa procreans pœnitentiam, neque ullius partis, tanquam naturali sc. instinctu provocans aut eliciens pœnitentiam; sed tantum subjectum patiens, quoad receptionem facultatum pœnitendi. Agens autem quoad exercitium, sed per recens acceptas vires supernaturales, non naturales est homo. Neque enim subjectum denominationis, quod agere pœnitentiam dicitur, DEus est, sed homo, qui idem Autor p. 291. dixerat: Spiritus S. cor conterit; sed homo ita contritus, non ipse Spiritus S. peccata agnoscit. Homo, non Spiritus S. credit, etiamsi idem Spiritus S. homini vires, quibus & peccata agnoscere, & credere possit, largiatur.

§. XIII. Neque tamen eas vires aliter confert DEus Trinus hominibus, quam, (ut paulo ante etiam ex Form. Conc. dictum)